

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNATURA APOSTOLICA - *Suppressionis paroeciae* - Decreto definitivo - 25 giugno 1994 - Prot. N. 24048/93 CA - Fagiolo, Ponente (\*).

**Unione di parrocchie e soppressione di chiesa parrocchiale - Giusta causa per la unione - Grave causa per la riduzione - Ruolo del Vescovo nella determinazione del bene di tutti i fedeli.**

*Fra i fattori che costituiscono la giusta causa per l'unione di più parrocchie vi sono la diminuzione del numero dei fedeli e la scarsità di clero. Il bene spirituale dei fedeli non viene determinato unicamente dai desideri di alcuni dei parrocchiani, ma anche dalle decisioni del Vescovo riguardanti il bene di tutti i fedeli affidati alla sua cura pastorale. Lo stato materiale (minaccia di rovina o situazione pericolante) della chiesa costituisce causa grave sufficiente per la sua soppressione, qualora l'autorità ecclesiastica ritenga non conveniente imporre ai fedeli l'onere di ripararla, pur essendo questi abili a farlo.*

Incid: *Recursus adversus decretum refectionis ex parte Congressus huius Supremi Tribunalis.*

FACTI SPECIES. — 1. Diebus 1 et 2 februarii 1992, Exc.mus ..., Episcopus N., nuntiavit se uniturum esse paroecias personales St.i Ioseph et B.M.V. ... in civitate episcopali pro fidelibus linguae galliae erectas, manente una sola ecclesia paroeciali, «Notre Dame», suppressaque ecclesia St.i Ioseph.

In effectum deducta praefata decisione die 1 iunii 1992, d.ni X et Y recursum hierarchicum interposuerunt coram Congregatione pro Clericis, petentes revocationem unionis paroeciarum et restitucionem ecclesiae St.i Ioseph in usum sacrum.

Recurrentes deinde, visis notitiis in ephemeridibus dioecesanis datis de confirmatione decisionis Episcopi ex parte Congregationis

---

(\*) Si veda nella sezione Dottrina l'articolo di F. DANEELS, *Soppressione, unione di parrocchie e riduzione ad uso profano della chiesa parrocchiale*.

Data Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae,  
die 4 mensis maii 1996.

*Gilbertus Card. Agustoni,  
Praefectus ac Ponens  
Bernardinus Card. Gantin  
D. Simon Card. Lourdusamy  
Vincentius Card. Fagiolo  
+ Ioseph Mercieca  
+ Julianus Herranz  
+ Philipus Giannini  
+ Aemilius Eid  
+ Eduardus Davino*

pro Clericis, die 7 februarii 1993 provocaverunt ad hoc Supremum Forum.

In Congressu vero huius Supremi Tribunalis die 6 decembris 1993 habito, statutum est: «Recursus non admittitur ad disceptationem utpote manfeste omni fundamento carens».

Instantia 28 ianuarii 1994, D.nus X, nomine etiam D.ni Y, recurrit ad hoc Collegium adversus illam decisionem Congressus. Cl.ma tandem Patrona recurrentium, memoriali diei 14 februarii 1994, indicavit rationes ob quas recursum adversus decretum reiectionis admittendum esse censebat.

Nunc nobis quaeritur utrum infirmandum sit, necne, supradictum decretum Congressus seu «AN RECURSUS (d.norum X et Y) ADMITTENDUS SIT AD DISCEPTATIONEM, NECNE».

**IN IURE ET IN FACTO.** — 2. Quoad rationes recursus a cl.ma Patrona exhibitas circa assertas violationes legis in decernendo ex parte Episcopi N, unionem paroeciarum (cf. can. 515 § 2) respicientes, animadverso quod:

— Bonum spirituale fidelium non est aestimandum tantum ex optatis et desideriis aliquorum membrorum paroeciae; Episcopus, pastor cui concredita est cura omnium fidelium in dioecesi, bono spirituali omnium prospicere debet, v.g. per aequam distributionem sacerdotum in dioecesi;

— Numerus decrescens fidelium in duabus paroeciis personalibus, quae sunt confines, pro cura pastorali fidelium eiusdem linguae erectis, necnon minor copia sacerdotum in dioecesi — motiva quae in actis indicantur — per se constituunt iustam causam pro unione earundem paroeciarum personalium;

— Nulla aderat ratio ut impugnatum decretum Congressus fuisus de iusta causa pro unione paroeciarum ageret, nam recurrentes antea de asserto talis causae defectu conquesti non erant.

3. Quoad adductas violationes legis in decernendo ex parte eiusdem Episcopi, circa suppressionem ecclesiae St. Ioseph (cfr. can. 1222, 2), perspecto quod:

— Conditio periculosa ecclesiae St. Ioseph confirmata est etiam ab iudice civili;

— Decisio Episcopi non respiciebat absolutam incapacitatem paroecianorum ecclesiam reparandi sed opportunitatem eos non gravandi huiusmodi onere.

4. Quoad rationes recursus a cl.ma Patrona exhibitas circa assertas violationes legis ex parte Congregationis pro Clericis quod attingit, perpenso quod:

— Ipsi recurrentes, etiamsi petivissent restitutionem ecclesiae St.i Ioseph in usum sacrum, numquam coram Congregatione assuerunt can. 1222 § 2 violatum esse; proinde, nulla adest violatio legis eo quod Congregatio respondit de asserta violatione can. 515 § 2. sine citatione can. 1222 § 2;

— Recurrentes, per ipsam suam Patronam, conquesti sunt apud hanc Signaturam Apostolicam circa assertam violationem can. 1222 § 2, et de hac quaestione disceptatum est; quam ob rem sermo fieri nequit de iure defensionis hac in re coram hoc Supremo Foro dengato.

5. Perspectis quoque rationibus adductis in impugnato decreto Congressus.

6. Cum recursus de quo agitur nova elementa haud addat, nec solidam praebeat responsionem rationibus quibus Congressus decisionem suam diei 6 decembris 1993 condidit.

7. (...)

DECISIO. — NEGATIVE seu RECURSUS ADMITTENDUS  
NON EST AD DISCEPTATIONEM.

Datum Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 25 mensis iunii 1994.

*Bernardinus Card. Gantin  
D. Simon Card. Lourdusamy  
Rosalius I. Card. Castillo Lara  
Eduardus Card. Gagnon  
Antonius Maria Card. Javierre Ortas  
Vincentius Card. Fagiolo, Ponens  
+ Gilbertus Agustoni, Pro-Praefectus  
+ Philipus Giannini  
+ Aemilius Eid*